



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illvstrivm Scriptorvm Religionis Societatis Iesv Catalogvs

Ribadeneyra, Pedro de

Antverpiæ, M. DC. VIII.

G.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68452)

phorosa, ac septem filiorum: quam Notis & digressionibus illustravit, de *Tiburis* opidi antiquitate differens eruditè.

G.

GABRIEL VASQUEZ, natione Hispanus, patria Belmontanus, vir magni ingenij, assiduæ atq; exquisitæ lectionis, & in peruestigandis atq; eruedis sanctorum Patrum reconditis sententiis summæ diligentie. Hic adolescentulus cum esset, & xviii. tantum annos natus, Compluti se nostræ Societati addixit, & in Philosophicis atque Theologicis disciplinis diligenter exercuit. Sed cum ingenio atque eruditione præstaret, & in Collegiis Ocaniensi & Madritano primùm doctrinæ suæ rudimenta posuisset, postea in Collegiis nostris Complutensi & Romano sacram D. Thomæ Aquinatis Theologiam professus est, maxima auditorum admiratione ac fructu; in qua quidem præclara functione xxix. ampliùs annos contriuit. Complutensem Academiam prælectionibus, disputationibus, responsionibus, scriptis etiam illustravit. Scripsit enim,

De cultu Adorationis lib. iiii.

Disputationes duas contra errores Felicis & Elipandi de adoptione & seruitute CHRISTI, in Concilio Francfurdiensi damnatos.

Commentariorum in primam partem D. Thomæ Tom. duos.

Commetariorum in primam secundæ D. Thomæ Tom. vnum. Atq; hæc quidem ipso viuente in lucem edita sunt, sed cum secundum Tomum in primam secundæ D. Thomæ, & tres alios Commentario-
rum

rum Tomos in tertiam partem paratos haberet, vt prelo subiiceret, ecce immatura mors GABRIELEM nostrum repente nobis eripuit XXIII. Septemb. anno salutis M. DC. IIII. ætatis LV. magno nostris atq; studiosis omnibus sui relicto desiderio; & cunctorum ordinum Religiosis viris, disciplinarum Professoribus, Doctoribus, Canonicis, Ecclesiastico atque Seculari magistratu, vniuersa deniq; Complutensi Academia, funus illius prosequentibus. Et quidem meritò: nam præter eximiam, exquisitam, & reconditam eruditionem, summumq; ingenium & iudicium, vir fuit vitæ integritate singulari, candore animi atque sinceritate admirabilis, paupertatis amans, obedientiæ tenax, ambitionis omnisque fastus contemptor egregius; vt in illo virtus cum doctrina, obedientia cum ingenio, pietas cum sapientia certasse videatur. Sed GABRIEL VASQUEZ, etiam mortuus, in hominum memoria æternum viuet; atque præclaris ingenij doctrinæq; monumentis iam editis, breuique edendis, à sacrae Theologiæ cãdidatis magna cum laude perpetuò celebrabitur. Post eius mortem, *Tomus alter in primam secundam D. Thomæ* exiit in lucem.

GASPAR ASTETIVS, natione Hispanus, patria Salmanticensis, XVIII. annos natus Societatem nostram ingressus, in eaque litteris probè excultus est. Vir fuit planè religiosus, & ad iuuenum studiosorum animos ad virtutem excitandos, magnæ dexteritatis atque industriæ. Itaque vt quibus voce profuerat, stylo etiam prodesset; scripsit,

De tribus statibus.

De Educatione Puerorum.

Catechismum ad rudes.

Libel.

Libellum precationum.

Sexagenario maior ad cælestes sedes Burgis migravit.

* GASPAR FERDINANDVS, natione Hispanus, patria Toletanus, P. Francisci Borgiae assiduus comes, atque à Sacris confessionibus fuit. Vir planè religiosus, litteratus, ac morum suauitate amabilis: qui post multas & longas peregrinationes, post varias gubernandi prælegendique curas, demum in patriam reuersus, anno salutis M. D. LXXV. mense Octobri, Toleti vita functus, in cælum, vti speramus, translatus est. Scripsit,

De Dialectica.

De statu & officio Cardinalium S. Romanae Ecclesiae lib. III.

De Immortalitate anime. & alia nonnulla, quæ hæctenus typis mandata non sunt.

GASPAR LOARTE, natione Hispanus, patria Methymnensis. Vir pius iuxta & doctus, grandis iam natu, & Doctor Theologus, & in pietatis officii benè versatus, auctore Ioanne Auila, viro Apostolico, cuius discipulus fuerat, Societatem concupiuit, & in eam admissus est, anno salutis M. D. LII. Postea Romam profectus, & ab ipso B. P. nostro IGNATIO probè institutus, Collegiorum nostrorum Genuensis & Messanensis regendorum prouinciam sustinuit: denique in Hispaniam rediit, & Valentiaë annis grauis, & bonis operibus plenus, anno salutis M. D. XXCII. mortuus est. Scripsit,

De Afflictorum consolatione.

Meditationes in Passionem Domini, & Rosarium B. Mariae.

Exhortationes vitæ Christianæ.

Remem-

Remedia contra septem Peccata mortalia.

Tractatus sanctarum peregrinationum, & de stationibus & indulgentiis in eis.

Admonitiones Sacerdotum. Quę eius opera, Latino, Hispanico, Italico, & Gallico idiomate, aliqua etiam Germanico, excusa circumferuntur.

GASPAR SANCHEZ, natione Hispanus, patria Granatensis, postquam Philosophicas & Theologicas litteras in Societate didicit & professus est, totum se ad verbum DEI populis prædicandum contulit, in eoque munere per xxx. & eo amplius annos in Batica, in Curia Regia, & Toleti felicissimè versatus est. Erat enim vir, præter eximiam morum integritatem & doctrinam, acuto ingenio, graui iudicio, optima memoria, rara prudentia, solitudinis amans, quietis appetens, & in diuinis Scripturis assiduè legendis meditandisque mirum in modum exercitatus, & ad permouendos sententiarum grauitate ac proprietate verborum auditorum animos efficax in primis & robustus. Qui demum Toleti, dum ad populum de loco superiore verba facere non desistit, tamquam fortis miles in pugna armatus occubuit, anno salutis M. D. xci. ætatis LVIII. Porro ex Concionibus GASPARIS SANCHEZ tumultuariè scriptis, & in aduersariis repertis, opera *Francisci Labata* nostræ item Societatis Theologi *Tomii duo Concionum* prodierunt in lucem, & tum in Hispania, tum in Italia typis excusi, GASPARIS SANCHEZ nomine circumferuntur.

GASPAR alter SANCHEZ, natione Hispanus, patria Nauatrus, ex oppido Cascante, duos de viginti natus annos, post liberalium artium studia noster fit. Vir est sui contemptor, animarum salutis zelo

zelo ardens, instituti Societatis perstudiosus ac tenax; qui totam pænè vitam in pueris ad pietatem formandis, & litteris excoliendis miro humilitatis & Reipub. iuuandę studio contriuit. In quorum vsum aptissimum librum *Ciceronianarum Phrasium* euulgauit.

GEORGIVS EBERHARDVS, natione Germanus, scripsit,

De voluntate Dei.

GEORGIVS SCHERER, natione Germanus, patria Suescensis, prope Oenipontum Comitatus Tirolensis, in ipso adolescentię flore xx. circiter etatis anno Societatem nostram complexus est; in qua mirum quantos in virtute atque doctrina progressus fecerit. Græcas atque Hebraicas litteras, Dialecticam etiam, docuit per x l. annos summa cū laude; nec minore fructu concionatus est. Vir impiger, pietate insignis, laboribus patientissimus, atque mira eloquentia, qua valet plurimū, tum voce, tum stylo, ad permouendos animos. Collegium Vienneuse rexit, Vice-prouincialis munere functus est. Scripsit Germanicè,

Tomos duos Variorum Opusculorū contra heretic.

Postillam itē in Euangelia, de Tempore & Sanctis.

Rationes decem instituti Festi ac processionum Corporis CHRISTI.

In fabulam Papissæ Ioannæ.

GREGORIVS DE VALENTIA, natione Hispanus, patria Methymnensis, ab ipsa pænè infantia educatus est in Societate, & ad optimam Religionis normam institutus. Vbi verò animum liberalibus disciplinis cohonestauit, & probitatis suę specimen præbuit; in Germaniam missus est, vt sacram Theologiam

logiam nostris in Collegiis explicaret, & furentium hæreticorum impetum retardaret, iacentesque Catholicos excitaret atque erigeret: quod tam cumulatè præstitit Dilinge primùm, deinde Ingolstadij post Hieronymum Torrensem, prælectionibus, disputationibus, congressibus, scriptis denique, vt omnium Catholicorum animos sibi deuinxerit, & quæ maxima laus est, in odium hæreticorum incurrit. Omnibus enim aduersariis, contra quos scripsit, silentium imposuit. Scripsit,

Pro Societate aduersus admonitionem Smidelini Lutherani.

Analysim fidei Catholicæ lib. viii. comprehensam; in quibus simul de Ecclesia, de Romano Pontifice, de Scriptura, de Traditionibus, de Conciliis disputat.

De sanctissima Trinitate lib. v. in quorum postremo pestilens quidam liber, in Polonia editus, confutatur.

De vera CHRISTI Maestate & presentia, contra Lutheranos Ubiqueistas lib. i v. cum Epistola Francisci Turriani de eodem argumento, ad auctorem scripta.

De rebus controuersis ad materiam Sacramentorum pertinentibus lib. xviii.

De numero Sacramentorum nouæ legis lib. i.

De efficacia Sacramentorum nouæ legis lib. i.

De Baptismo paruulorum lib. i.

De reali presentia CHRISTI in Sacramento Eucharistia, & de conuersione panis & vini in corpus & sanguinem CHRISTI, lib. i v. contra Calvinistas.

De eodẽ argumento lib. alios iii. in quibus continetur Examen & refutatio præcipui mysterij doctrine

Arine

doctrinæ Calvinistarum, cum Responsione ad obiectiones Antonij Sadelis & Fortunati Greellij.

De legitimo usu Eucharistiae in altera tantum specie lib. 1.

De sacrosancta Missa sacrificio lib. 11. contra Lutheri, Kemnitij, Herbrandi, & aliorum Sectariorum doctrinam.

De contritione ex poenarum timore concepto lib. 1.

De Necessitate confessionis lib. 1.

De satisfactione lib. 1.

De ordinis Sacerdotalis & Episcopalis discrimine lib. 1.

De indissolubili vinculo Matrimonij lib. 1.

De Idololatria lib. v. in quibus cultus sacrae Eucharistiae, & Sanctorum, & sacrarum Imaginum ac Reliquiarum, aduersus Sectariorum contumelias defenditur.

De diuersis aliis materiis cōtrouersis lib. x. nempe,

De peccato originali lib. 1.

De officio proprio CHRISTI Mediatoris ac Redemptoris lib. 1.

De vera ac falsa differentia veteris & nouae Legis, contra fundamentum Lutheranae & Calvinianae doctrinae lib. 1.

De Gratia, Iustificatione, & Meritis lib. 1.

De Praedestinatione & reprobatione lib. 1.

De statu & votis Religiosorum hominum lib. 1.

De Caelibatu lib. 1.

De potestate legis humanae, praesertim Ecclesiasticae, lib. 1.

De Efficacia excommunicationis Ecclesiasticae lib. 1.

De indulgentiis lib. 1.

De purgatorio lib. 1.

Commentarium in primam partem D. Thomæ.

Explicationes in primam secundæ D. Thomæ.

Disputationes in secundam secundæ D. Thomæ.

Disputationes in tertiam partem D. Thomæ.

In hisce Commētariis siue Disputationibus, ita sty-
lum VALENTIA noster temperavit, vt solidam atq;
reconditam D. Thomæ doctrinam explicet, nimias
& spinosas subtilitates circumcidat; & modum il-
lum scribendi scholasticum & scabrosum, in faci-
liorem atque elegantiore commutat; vt & Catho-
licos illarum Nationum magis ad legendū D. Tho-
mam hac veluti illecebra alliciat, & hæreticos ab
eiusdem S. Doctoris doctrina abhorrentes, ac præ-
fractos, si fieri potest, emolliat. Denique reuocatus
sapientissimus Pater Romam, vita, doctrina, præle-
ctionibus, atque etiam disputationibus coram Cle-
mente Octauo Pontifice Maximo, & Cardinalium
grauissimorumque virorum confessu, floruit: sed
ex continuis studiorum laboribus, ac nimia cōten-
tione, morbum contraxit; & Neapolim ad recupe-
randam valetudinem profectus, magno sui bonis
omnibus relicto desiderio, piè sancteque mortuus
est, anno salutis M. D. C. I I I. xxv. Aprilis, ætatis
verò L I V. Cui hoc Cenotaphium gratitudinis
ergo Collegium Theologicum Ingolstadiense po-
suit.

GRE-

GREGORIVS DE VALENTIA

E SOCIETATE IESV

METHYMNENSIS, HISPANVS,

S. THEOLOGIAE DOCTOR,

INTER THEOLOGOS SVI TEMPORIS

NULLI SECVNDVS,

PARISIIS VEHEMENTER EXPETITVS,

A STEPHANO REGE POLONIAE DIV POSTVLATVS,

PRÆCLARVM HVIVS ACADEMIÆ DECVS;

IN QVA ANNOS XXIIII. COMMORATVS CVM

S. THEOLOGIAM SEDECIM ANNIS CONTINVIS,

MAGNO AVDITORVM PLAVSV ET FRVCTV,

FÆCVNDISSIMAQ. ERVDITIONIS PROPAGATIONE,

DOCVISSET, ATQVE INTERIM IN OMNI CON-

TROVERSIARVM RELIGIONIS GENERE CONTRA

HÆRETICOS QVAM MVLTOS COMPLVRIBVS

LIBRIS EDITIS NVMQVAM NON VICTOR EGREGIE

DIMICASSET, VNIVERSAMQ. SCHOLASTICAM

THEOLOGIAM QVATTVOR COMMENTARIORVM

TOMIS, COMMEMORABILI OPERE, ILLVSTRASSET,

IMMORTALEM NOMINIS SVI GLORIAM ADEPTVS,

ANNO M. D. XCVIII. SVPERIORVM SVORVM

VOLVNTATE ROMAM AVOCATVS EST.

F 3

CVMQ.

CVMQ. ILLIC PARTIM S. THEOLOGIÆ PROFESSOR
PARTIM SVPREMVS IN COLLEGIO SOCIETATIS
STVDIORVM MODERATOR ALIQVAMDIV CLA-
RISSIMVS VIXISSET,

DEMVM ASSIDVIS LABORIBVS FRACTVS,
ET INVETERATA CONSVMPVIS ÆGRITVDINE,
NEAPOLI, QVO VALETVDINIS CAVSSA
ÆGER CONCESSERAT,

E VIVIS SEMPER VICTVRVS EXCESSIT,
XXV. APRILIS, ANNO M. DC. III. ÆTATIS LIV.

GVILIELMVS BAYLVS, natione Gallus, vir Græ-
cis atque Latinis litteris impensè eruditus, Poëta
insignis, ac concionator egregius. Scripsit,

De arte Grammatica Græcorum.

*De accentibus, & de syllabarum quantitate Græ-
corum.* Denique,

De Græcorum dialectis.

GVILIELMVS BROCHÆVS, natione Belga, Lim-
burgi natus, in Societatem admissus est Romæ, an-
no salutis M. D. LI. III. Maij. Obiit Treueris, an-
no M. D. LXXXIII. XXIX. Februarij. Scripsit,

Disputationes de Orationis vi ac necessitate.

De Sacramentis nouæ Legis.

De tribus bonorum operum generibus.

De Oeconomia verbi.

De lege & de libertate Christiana.

De veritate corporis CHRISTI in Eucharistia.

HEN-